

G 1442

B. C. D.
DE
VERITATE REALI

CVM
VERITATE NOTIONALI

COLLATA
JVXTA AC CONCILIATA,
AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII,

FRIDERICI AVGVSTI,
ELECTORATVS SAXON. HÆREDIS,

ETC.

PRAESIDE

HENRICO BEAUSJNG/
THEOLOG. DOCT. ET PROFESS. PVBL. EXTR.
LOG. AC METAPH. ORDINARIO,
DOMINO PATRONO AC PRAECEPTORE SVO,
EA QVA PAR EST ANIMI PIETATE AC OBSERVANTIA
COLENDISSIMO,

IN ALMA LEVCOREA
DIE XXXI. DECEMBR. A. R. S. ob lccc XIV.

PUBLICE DISSERET

IO. CHRISTIANVS POGNERVS,
Eschen. Franc.
LIBB. ART. MAGISTER.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVÆ GERDESIANÆ.

1714

N6
WZ

VIRO
PLVRIMVM REVERENDO
M I C H A E L I
POGNERO,
PASTORI HALAE INFER. MERITISSIMO,
PARENTI
VTI OPTIMO ITA OMNI FILIALIS OBSERVANTIAE
CVLTV AETERNVM DEVENERANDO;

NEC NON
VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
JOH. GEORGIO
POGNERO,
NOT. CAESAR. PVBL.
REDITVVMQVE, EQVITATVM QVI SPECTANT
FRANCONICVM, PVBLICORVM,
PRAEFECTO LONGE DIGNISSIMO;
PATRVO AC PATRONO,
DEBITO SEMPER ET AMORE ET HONORE
PROSECVENDO

S. P. D.

IOH. CHRISTIAN. POGNERVS.



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

§. I.



ultæ sunt veterum Philosophorum de
vero opiniones & persvasiones, lon-
ge falsissimæ ac dudum explosæ, in
quibus instaurandis atque cum no-
va quadam veri specie in scenam
revocandis, nonnulli ex recentiori-
bus Scriptoribus magno conatu mul-
tum operis & studii collocarunt. Ita
constat verb. c. veteres Scepticos,
in primis Pyrrhonios docuisse quod nullum detur certum
veritatis criterium ex Diogenè Lacrtio in *Vita Pyrrhon.* ex
Sext. Empirici Libr. adversas Mathematicos, & pluribus aliis.
Multos autem deinde ex recentioribus ejusdem illius Sce-
pticismi, aut non multum dissimilis cujusdam *ἀκαταληψίας*
instauratores fuisse, illud & Petr. de Villemandi in *Scepticismo suo*
debellato, & Johann Francisc. Buddeus in *Exercitatione de Sce-
pticismo morali* & alii satis demonstrarunt. Ita denuo
communis est & antiquissimorum & hodiernorum Fanati-
corum persvasio, non intellectum sed voluntatem judicare
de vero debere & posse, ac veram veri cognitionem, fieri
per sensum gustumque voluntatis in fundo mentis nostræ.
vid. Malebranch. *Libr. I. de Inquisitione Veri Cap. 2.* & Job. Norrisius

A 2

in

*in Consider. Rationis & fidei pag. 30. sqq. Joach. Lang. in Medicina
Mentis P. IV. c. i. sqq. & pasim in Antibarb. Bibl. ne dicamus de
pluribus ejusdem generis opinionibus, de quibus legi me-
retur Læscherus in Praenotionib. Theol. p. 106. sqq. & pag. 125. sqq.*

§. II.

In harum numero falsissimarum opinionum, quæ hanc ad classem referri possunt, numeranda quoque illa, qua veritas realis ita cum veritate notionali committitur, ut vel alterutra, altera scil. propter alteram, negetur, vel utraque in dubium vocetur. Non autem esse hanc veritatis realis & notionalis commissionem, rem prorsus novam, illud exemplo nunc Arcesilas & reliquorum secundæ Academiæ addicitorum Philosopherum; nunc Carneadis, & ceterorum ex Academia nova, placitis demonstrari facili labore potest. Priores enim realem, posteriores notionalem veritatem negasse, imo si dicendum, quod res est, per hoc ipsum utramque in dubium vocasse veritatem, illud testantur & Plutarchus & Diogenes Laertius & reliqui Vitarum horum Philosophorum Scriptores alii. Etsi enim Arcesilas, omnium rerum *ἀναταληψίαν* asserendo, Socratis faltem in modum illud se facere perhibuerit, qui saepe dicere sit solitus, nihil se scire; licet etiam Cicero Carneadis sententiam ita paßim interpretatus sit, cum *in Lucullo*, tum *in Libr. IV. Academ. Quest.*, ut eum ostendat, non negasse, quod veri aliquid sit; eo tamen & istius *ἀναταληψία*, & hujus negatio veritatis extenditur, ut in Scepticismum definat, proque illo haberi summo jure possit.

§. III.

Idem factum esse a quibusdam recentioribus superioris & nostri Seculi Philosophis, est illud quod confirmamus primum exemplo illorum, qui non solum ita opponunt veritatem notionalem reali veritati, ut hanc dari prorsus inficiantur; Verum etiam veritatem notionalem, quam concedunt, perinde exponunt, ac si & hanc negare aut indubium faltem vocare constituerint. Illud vero egregie praestitit, præ ceteris propter ea

pterea hic nobis commémorandus Hobbesius : Etsi enim
is afferat non uno in loco, quod veritas & falsitas nulla de-
tur, nisi in orationibus, quam alias veritatem & falsitatem
notionalem nominamus, eoque ipso realem tantum verita-
tem negare & oppugnare videatur; ita tamen & illam ve-
ritatem, quam in orationibus inesse largitur, interpretatur,
ut eam nude verbalem veritatem, imo & ingeniorum in
vocibus lusum nominet. Quo ipso scepticissimum suum
non minus prodidisse putandus est, quam per reliquas suas
quas tuetur de bono & honesto opiniones, quippe quas sunt
tales, ut revera omne boni & mali, honestatis & turpitudi-
nis discrimen plane tollant & evertant. *Vide ejus Levi-*
athan. Cap. IV. Element. de Cive Cap. 2. & Element. de Corp.
Cap. VI. & confer. contra eum Leibniz. in Act. Erud. Anno.
1694. p. 540. & Arnald. in Art. cogitandi p. 41. Non multum ab
Hobbesio differt. *Job. Lockius qui in Tentam. de Intellett. Humano.*
Libr. II. c. 32. ita denuo cum notionali veritate, realem ve-
ritatem committit, ut illam solam concedere, hanc vero
negare videatur. Proprie enim loquendo, inquit: Veritas
& falsitas tantum ad propositiones pertinent: Ideæ autem
veræ & falsæ solum dicuntur esse, at non sunt. Describitur
propterea ab eodem veritas alibi in eodem hoc Tentam.
quod nihil sit aliud, quam verborum junctio aut sejunctio
in propositionibus.

§. IV.

Confirmamus idem illud porro exemplo illorum, qui
prorsus in contrariam partem prolabuntur, atque ita verita-
tem realem extollunt, contraque veritatem notionalem de-
fendunt, ut notionalem veritatem omnem negent. Poteſt
in illis numerari *Petrus Poiret*, qui cum alias, tum maxime
in Discursu de Fide §. I. hujus communissimæ Fanaticorum
fententiae fundamenta posuit. Addantur eidem *Tr.* qui in-
ſcribitur *Licht und Recht*. pag. 8. 14. 20. *sqq.* & Pseudonymus
ejusdem generis Scriptor alius *C. Obadias in Scheda de di-*
ſcrimine inter Christianismum & Orthodoxiam. Ex his enim
omnibus illud perspicuum erit, quod per veritatem rea-

Iem nihil aliud intelligent, quam hujusmodi ex rebus ipsis,
DEO in primis, effluxum & emanationem, per quam voluntas
immediate ad eum afficiatur modum, ut illam emanationem
quasi gustet, inque ea deinceps acquiescat. Quam verita-
tem solam ita deprædicant, ut nullam in verbis & scientiis
ineesse veritatem profiteantur: *Es ist inquit, ein Irrtumb,
daß man die bloßen Worte und Wissenschaften, oder eine Lehre,
sie mag so gut sein als sie wolle, vor die Wahrheit selbst aus-
giebet.* Veritas itaque secundum illos querenda est non
in ore, sed in Cordis fundo, quoniam juxta illos in ver-
bis non continetur, sed ex rebus ipsis, maximeque ex
DEO emanat & egreditur, indeque adeo a voluntate
fine medio recipitur & percipitur, ut acquiescere voluntas
possit. Quæ sententia tam perniciosa est ac periculiplena,
ut non tantummodo Verbo DEI scripto, omnem veri-
tatis rationem deneget, substitutaque in ejus locum aliud
aliquod DEI verbum internum, quo deinde & Enthusiasmī
& Fanaticismī, fundamentum ponitur; Verum etiam innu-
mera alia secum trahat incommoda, verb. causa, quod er-
rores in doctrina nulli sint, aut esse possint noxii, quod in
analogia Scriptura & Fidei, non sit querendum aliquod
criterium veritatis Theologice, quod heres nulla detur,
quod ipsum Syncretismi & Indifferētismi est fundamen-
tum.

§. V.

Hæc causa fuit, quam ob rem operæ pretium esse ex-
istimaverim de utraque veritate & notionali & reali, doctrinam
paullo plenius, ut fieri potuit, excutere. In qua hoc mihi
ordine liceat procedere, ut primum seorsim describam
utramque veritatem, unam post alteram, una cum criteriis
utriusque veritatis; Deinde ut ostendam, quo modo altera
sit alterius fundamentum, cumque ea concilianda ac
conjugenda, non autem committenda, ne alterutra nega-
ta, ea quæ supra commemoravi mala, etiam nobis imputari
queant.

CAP.

CAPUT I.

DE

UTRAQUE VERITATE TAM REALI
QUAM NOTIONALI SEORSIM
CONSIDERATA ET COLLATA.

Aphorism. I.

Est omnino veritas per se spectata, una & eadem, quæ dividi non potest, nisi per accidens consideretur, nunc ratione objecti & principii, nunc ratione modi acquirendi pariter ac inessendi, nunc iterum aliter. Ex quo relinquuntur, vel gradus, vel species diversæ unius ejusdemque veritatis, quarum tamen illa nobis hoc loco tantummodo attenditur, secundum quam veritas realis alia, alia notionalis, vulgo esse dicitur.

EXPLANATIO.

S. L.

Hoc minus necesse est ut demonstremus, quod veritas per se spectata una sit, non multiplex, nedum contraria sibi ipsi & opposita, licet falsum possit dici multiplex sibique ipsi revera contrarium, quo copiosius illud est, ac jam dum solide confirmatum ab aliis, speciatim *ab Alberto Grauwero in Tr. de Unica & Simplici Veritate.* Enim vero veritas omnis, generatim loquendo, nihil est aliud, quam Analogia, hoc est ejusmodi convenientia seu congruentia perpetua, qua expers omnis pugna est. Repugnat autem illud, quod analogon est, esse etiam revera sibi ipsi oppositum & contrarium: Verum omne, simillimum est recto, & rectis lineis: Falsum & error cum curvis lineis coincidit. Quemadmodum itaque uni linea recta opponi posse immuras curvas lineas videbis, rectamque lineam non esse posse nisi unam, non quidem numero, at specie tamen; ita veritatem

tem per se spectatam non deprehendes esse nisi unam, cui opposita est magna saepe falsissimorum errorum multitudo ac frequentia.

§. II.

Quotquot proinde discrepantes inter se, vel gradus, vel species, constituantur veritatis, illæ non ad naturam veri, sed ad ejusdem vel principium diversum, vel materiam, vel modum inessendi, aut acquirendi, vel aliquem respectum accidentalem alium atque alium referri debent. Ita verbi causa, quando veritas, alia Theologica eminens, divina & infallibilis esse dicitur, rerum nempe divinitus revealatarum; alia econtrario humana & Philosophica, eademque iterum nunc rerum theoreticarum nunc practicarum, sive illæ ad Jurisconsultos, sive ad Medicos, sive ad Philosophos pertineant; Illud vero tam ratione principii, quam ratione objecti fit diversissimi. Ratione modi acquirendi pariter atque inessendi, una illa & eadem veritas, vel certa est, vel probabilis; Certa iterum vel indemonstrabilis, vel demonstrabilis. Recentioribus quibusdam Scriptoribus perplacet etiam illa distingvendi ratio, qua veritas pro ratione diversissimi effectus, nunc foecunda, nunc non foecunda esse dicitur: Illa est conjuncta cum aliquo effectu fructuque, nunc pleno nunc semipleno, illo quidem, quem veritas alioquin etiam relinquit extra intellectum; hæc quasi sterilis & sine ejusmodi fructu effectuque est. Qua distingvendi ratione ne quis perinde abutatur, ac fecit Joachim Langius nunc in Antibarbaro suo Biblico, nunc in sua Medicina Mensis, illud etiam atque etiam rogamus. Ita denuo pro numero disciplinarum diversissimarum dicitur esse veritas Logica alia, alia Ethico-Politica, alia Metaphysica, & que sunt reliqua ejusdem generis plura alia, de quibus conferri potest vel Voetius in prima philosoph. Reform. Cap. XI. seqq. vel Verbel. in Specul. Prima Philosoph. Disp. XIII. de quibus tamen aliquid deinde observabitur. Hoc loco illud maxime attendendum est, quod veritatem aliam notionalem, aliam realem novimus constui & nominari. Quod ipsum iterum non ad naturam veritatis

ritatis diversa objecta, diversumque considerandi ac concipiendi modum, referri debet.

Aphorism. II.

Est & datur quidam vel gradus veritatis, vel species quædam, quæ notionalis veritas dici potest, propter ea quod spectat ad notiones illas, quas Logici secundas notiones appellant, hoc est ad terminos non minus, quam ad propositiones & argumentationes Logicas, estque illa, generatim loquendo, nihil aliud, quam analogia & conformitas ista, quam habent illæ notiones secundæ citatae cum eo, quod significare debebant, secundum leges Logicorum.

§. I.

Quemadmodum nimirum cæteris adscribi signis & potest & debet veritas quædam, signis, inquam, nunc naturalibus, nunc artificialibus, quæ veritas tum in illis revera etiam inesse deprehenditur, quando cum rebus significatis, analogiam & conformitatem tales habent, qualem habere debebant: Ita etiam notionibus secundis Logicorum, hoc est, terminis, propositionibus, & argumentationibus, denegari veritas nec potest, nec debet. Quemadmodum porro in signis commemoratis, analogia & conformitas cum rebus signatis, hoc est, ipsa veritas, revera in esse jam ante potest, quam quis de illa cogitat, perinde ut rectitudo revera ante jam inest lineæ rectæ, quam ad normam examinatur: Ita quoque & terminis, & propositionibus & argumentationibus Logicorum, suo modo etiam veritas jam ante adscribi potest & debet, quam referantur ad mentis humanæ cognitionem. Non quasi velimus negare veritatem Logicam esse veritatem in cognoscendo, sed ut viam nobis ipsis præparemus, veritatem Logicam in suas partes distribuendi, docendique, quod veritas notionalis illa, quam Logicam nominamus, considerari possit duobus potissimum modis. Primum accipi potest veritas notionalis per se & absolute, ut jacet, inest, & continetur revera, in notionibus

B

fe-

secundis, tam terminis, quam propositionibus & argumentationibus. Deinde vero eadem hæc veritas relative & formaliter considerari potest, ut ex terminis propositionibus & argumentationibus eruitur mentis opera, & cognoscitur. Secundum illum considerandi modum dicitur esse, & vera terminorum, nunc simplicium, nunc compositorum significatio; & vera propositio, & vera argumentatio; secundum hunc dicitur esse verus conceptus, ex terminis, aut propositionibus, aut argumentationibus, haustus, vel, ut cum recentioribus Scriptoribus Logicis loquamur, vera idea, nunc simplex, nunc composita, item vera idearum conjunctio aut separatio, vera denique idearum collatio atque illatio, quæ secundum terminos, propositiones & argumentationes instituuntur, habentque analogiam, & in mente humana percipiuntur. Vt rāque hæc veritas notionalis vel potius, veritatis notionalis utraque hæc pars, si fundamentaliter consideretur, est etiam quodammodo realis. Habet enim utraque, habere certe utraque debebat, fundamentum in ipsis rebus, earundemque natura.

§. II.

De veritate notionali per se, & simpliciter spectata, videmus agere scriptores Logicos antiquiores, in primis Aristotelicos. Illi enim per veritatem terminorum intelligent nihil aliud, quam veram terminorum significationem, congruentem cum natura rerum, adeoque estimatam, non secundum Grammaticam, aut Rhetoricam, sed Logicam. Secundum hanc vero, ut exemplo utamur in vocabulo DEI, tum dicitur ineffe veritas Logica, quando habet significationem illius DEI, qui est Φύσης Θεος. Hoc illud est, quod indicare cupiunt atque explanare per suam de nomine & verbo, de terminorum variis distinctionibus, de ante prædicamentis, prædicamentis & post prædicamentis doctrinam. Per veritatem autem propositionum, intelligent nihil aliud, quam subjecti & prædicati analogiam seu conformitatem, ut vera sit illa propositio, in qua prædicatum subjecto revera ita convenit, vel non convenit, quemadmodum de eodem pronuntiatur, hoc est, quemadmodum convenire, vel non convenire dicitur, ut

ut significatio prædicati, congruat cum significatione subjecti. Per veritatem denique Syllogismorum, nihil aliud intelligunt, quam analogiam seu conformitatem Syllogismorum, cum illis regulis, in quibus bonæ alicujus confecutionis leges continentur.

§. III.

Si dicendum, quod res est, est hæc veritas Logica, sic explicata, more Peripateticorum, non quidem illud totum, quod exhaustit satis plene naturam veritatis notionalis; at potest tamen primum ipsius illius veritatis quædam pars, illaque prima dici. Tum vero etiam hæc pars veritatis notionalis, est illud ipsum medium, quo nos assequimur veritatem realem: Ex terminis enim & propositionibus, erimus significationes habentes analogiam, hoc est veritatis aliquam partem. Ex terminis etiam propositionibus & argumentationibus, perque illas, formamus nobis conceptus mentis nostræ, seu ideas, habentes iterum analogiam, hoc est veritatis Logicæ aliquam partem, scil. analogiam partim cum signis rerum, hoc est, cum terminis, propositionibus & argumentationibus, partim cum ipsis rebus per signa illa significatis, earundemque natura. Ex quo relinquuntur iterum duo, quæ utraque ad recentiores spectant scriptores Logicos, novatuentes: Vnum illud est, quod repudiari & fuggillari non debeat hæc Peripateticorum doctrina, tanquam proflus inutilis ac stolidæ, uti factum est a Christiano Thomæ, cum in *Philosoph. Aulic.* passim, tum vero, in *Introduct. ad Philos. Rat. & Joachimo Langio in Medicina mentis P. in primis VI.* ejusdemque append., aliqua etiam ratione a Job. Clerico in Logica. Alterum hoc est, quod illi ex recentioribus scriptoribus vehementer a vero aberrent, in ipsis veri investigatione, qui vel terminis solis, vel notiōnibus Logicis omnibus, veritatem omnem denegant, perhibentes, quod in solis rebus, non autem in terminis, aut propositionibus insit quædam veritas, ex quibus vel solus Lockius conferri potest, in *Tentamine de Intellectu Humano cap. 32. Lib. 2.* Cum tamen illud ex superioribus jam manifestum satis sit,

B 2

quod

quod analogiam aliquam admittant, adeoque etiam veritatis Logicæ aliquam, eandemque primam partem.

§. IV.

Veritas notionalis relative ac formaliter considerata, seu veritatis Logica pars altera, hoc est, analogia conceptuum atque idearum mentis nostræ, cum terminis, propositionibus ac argumentationibus Logicis, illa vero a recentioribus scriptoribus Logicis copiose admodum proponitur, utinam quoque sine sententiis admixtis falsis & maxime perniciofis exponeretur: Quas tamen & Lockium in *Tentam. citat.* & P. Malebranch. in suis *de Inquirenda Veritat.* Libb. & Clericum loc. cit. & alios larga satis manu admiscuisse constat. Nos de eadem observamus. 1. illud, quod plerunque cum veritate notionali fundamentaliter considerata, quæ quodammodo jam realis est, confundatur, quod fieri tamen non debebat. Enim vero veritas notionalis formaliter considerata, nihil aliud, quam analogiam dicit, conceptuum seu idearum mentis nostræ, cum terminis, propositionibus & argumentationibus: At veritas notionalis, fundamentaliter considerata, illa requirit analogiam seu conformitatem conceptuum atque idearum mentis nostræ, cum rebus ipsis, per terminos, propositiones & argumentationes significatis, earundemque natura, de qua, quoniam aliquo modo jam realis est, infra porro aliquid subjungetur. Observamus 2. quod veritas Logica, veritas in cognoscendo dicatur, vel maxime propter hanc analogiam conceptuum mentis nostræ, partim cum notionibus secundis, tanquam signis, partim cum rebus ipsis per hæc signa significatis: Ut tum demum conceptus verus dicatur secundum veritatem Logicam, quando ille (1. refertur ad notiones secundas, seu terminos, propositiones & argumentationes, earundemque, quam in significando habent, analogiam, ut eidem respondeat. (2. Ad notiones primas, seu res significatas, in terminis, propositionibus, & argumentationibus, ut cum illis etiam habeat analogiam. Quæ causa est, quam obrem nonnulli, veritatem Logicam simul & verbalem, & mentalem, & realem dici posse, arbitrentur.

Aphorism.

Aphorism. III.

Est etiam & datur veritas quædam realis, quam, ut opinamur, in primariam & secundariam, hoc est, Metaphysice & Logice consideratam, non male distribuimus, eidemque Ethicam atque Historicam veritatem, non multum dissimilem esse asserimus, rejicientes interim omnem realem veritatem, quæ vel Fanaticismi, vel Enthusiasmi possit esse fundamentum.

EXPLANATIO.

§. I.

Quod Roetenbeccius in Logica Vet. & Nov. n. 779. obseruat, veritatem pro diversa relatione ad intellectum, diversam esse ac dici posse, nunc Metaphysicam, nunc Logicam, quando vel, inquit, respicitur in veritate intellectus ut mensura, res autem, ut mensuratum, & datur inde transcendentalis veritas; vel consideratur res, ut mensurans, intellectus autem ut mensuratum, & datur Logica veritas: Illa dicitur veritas in essendo; hæc veritas in cognoscendo: Hoc etiam nostrum hoc loco facimus. Intelligimus enim per veritatem realem, generatim loquendo, analogiam, que intercedit inter ipsas res, & intellectum humanum. Hæc vero diversimode se habere potest, vel 1) incipiendo a rebus, easdemque conferendo cum intellectu humano: Ex quo relinquitur veritas realis Metaphysicorum. Vel 2) incipiendo ab intellectu humano, ejusdemque conceptibus seu ideis, & has conferendo cum rebus ipsis, earumque natura: Ex quo oritur veritas Logica, quatenus realis est & dicitur secundum scriptores Logicos recentiores, præsertim Cartesianos. Ad utramque hanc veritatem quam proxime accedit veritas Ethica, quæ nihil aliud infert, quam analogiam, que intercedit inter animi sententiam & signa externa, sive illa sint in sermone & verbis scriptis, sive in gestibus, sive in aliis rebus: De qua veritate nos quidem hoc loco non disputabimus, utrum

realis dici an verbalis debeat? Videtur enim fatis esse, asserere, quod veritas Ethica ad veritatis realis naturam quam proxime accedat, inque plurimis cum illa conveniat.

§. II.

Veritatem Logicam jam supra observavimus, fundamentaliter consideratam, realem dici posse ac debere. Hanc vero nunc hoc loco veritatem dicimus realem secundariam, quoniam revera pars est, seu gradus, veritatis Logicæ, quæ cum veritate notionali, velut ejus fundamentum conjungi debet. Quo facto præripitur calumniandi causa illis, qui perhibent, Logicos exponere de veritate tantummodo verbali, eandemque quærere duntaxat in nudis notionibus secundis, seu terminis solis. Ex hac tenus namque disputatis appetat fatis, quod veritatis Logicæ, plene quidem consideratæ, sint constituendæ partes vel gradus tres. Primus & secundus, quem supra jam descripsimus, Logicam veritatem formaliter consideratam constituit. Tertius vero, quem hic veritatem realem secundariam diximus, is fundamentum est veritatis Logicæ, seu ipsa veritas Logica, fundamentaliter spectata. Atque hæc nihil aliud est, quam analogia illa, secundum quam conceptus mentis humanae revera congruunt, cum ipsis rebus, significatis per notiones secundas, five illæ sint termini simplices, five sint propositiones, five etiam argumentationes integræ. Ex quo simul relinquuntur, illos non esse audiendos, qui ex scriptoribus recentioribus Logicis, Logicam veritatem, qua realis est, ad propositiones solas restringunt, & terminis eandem denegant: Res enim ipsa loquitur & ostendit, congruere posse & debere, secundum veritatem Logicam, conceptus mentis nostræ, non solum cum rebus ipsis significatis, per integras propositiones aut argumentationes, verum etiam per terminos simplices, indicatis. Dixeris tu, vel maxime propterea, veritatem illam realem, quatenus Logica est & dicitur, vel in complexam esse, vel complexam. Incomplexa est, secundum quam conceptus, aut idea mentis humanae congruit cum rebus ipsis, per terminos simplices significatis, verb. gr. quando auditio, vocabulo οες, absolute positio, mens huma-

humana talem conceptum sibi format, qualem debebat, secundum veram hujus vocabuli τὸ θέμα, significationem. Complexa est, secundum quam conceptus mentis humanæ revera congruunt cum rebus ipsis significatis, vel per terminos compositos, vel per propositionem, aut argumentationem integrum. Verb. gr. Quando, audita hac propositione, DEVS est unus, mens humana talem sibi conceptum format, tam de DEO, quam de unitate, eidem attribuenda, qualem hæc res ipsa requirit, significata per hanc propositionem.

§. III.

Veritas realis primaria, de qua generatim considerata, Metaphysici, speciatim vero spectata, Pneumatici, Physici, cæterique exponunt, qui reales disciplinas profitentur, illa hujusmodi proprietas est, ipsarum rerum scilicet, quæ revera sunt & existunt, per quam eam essentiam habent, quam habere debeant, secundum intellectus humani judicium rectum. Quemadmodum igitur veritas Historica nihil aliud est, quam analogia, seu congruentia rerum gestarum, cum commemoratione qualicunque facta, sive illa literis scriptis, sive orali aliquo habito sermone instituatur: Ita etiam veritas Metaphysicorum est ipsa illa analogia quæ intercedit inter rerum ipsarum essentiam, & rectum humani intellectus judicium. Quemadmodum in Historia per verum intelligitur, commemoratio revera conveniens, cum ipsis rebus gestis: Quemadmodum in disciplina rationali, per verum significatur, nunc significatio notionum secundarum vera, nunc conceptus verus, conveniens revera, partim cum ipsa illa significacione vera, partim cum ipsarum rerum, quæ significantur, natura: Ita vero etiam in Metaphysicis, per verum intelligi aliud nihil potest, quam vera ipsarum rerum essentia, conveniens cum recto intellectus humani judicio. Historici ad commemorationem attendunt, candemque ad res gestas examinat: Logici de significationibus notionum secundarum, pariter & conceptibus mentis humanæ sunt solliciti, eosdemque conformare docent ipsis rebus; Metaphysici autem de natura seu essentia ipsarum rerum præcipiunt, candemque

que talem requirunt, qualis esse debebat, secundum rectum intellectus humani judicium. Metaphysici itaque & Pneumatici, de DEO, verb. gr. inquirunt, utrum habeat naturam Spiritus in dependentis, atque infiniti, quam habere debebat, secundum rectum intellectus humani judicium? Logici de termino, DEI veri, ejusdemque significatione vera, de propositionibus, argumentationibus, & conceptibus formandis, de Deo vero, secundum naturam veri Dei, præcepta tradunt. Historici denique commemorationem dirigunt, talemque de DEO vero ejusdemque operibus commemorationem instituunt, quæ revera congruat cum ipsis illis operibus, quemadmodum a DEO verorevera profecta sunt.

§. IV.

Ad hunc modum si exponamus veritatem realem, non habebimus 1) necesse, ut Scholasticorum per obscuras sequamur aut attendamus descriptiones veri, quas dignas non judicamus, ut in hunc locum afferantur, quoniam aut tam sunt ambiguae & ad intelligendum difficiles, ut doctrinam de veritate jam tum abstrusam, reddant multo abstrusorem; aut tam alienæ ab ipsa natura veritatis, ut nihil minus sint, quam veri ipsis descriptiones. Vide interim deplerisque ex illis *Paulum Voerium in prim. Phil. Reform. Cap. XI.*, & de pluribus longe etiam solidius in quirentem ac judicantem *Dom. D. Schröerum in Metaph. Divin. Cap. V.* Nec erit II) cur metuamus ut aliquid admisceatur, quod spectare ad Fanaticismum poscit, quod ipsum, quo modo fieri poscit, & quomodo a nonnullis factum sit, illud restat ut ostendatur. Nimirum quando realis veritas perinde concipitur ac describitur, uti factum est a *Petro Poiret*, cum alias, tum vero in primis in *cogitat. Rat. Libr. II. Cap. 8.* & in *Libr. de vera Method. inv. verum num. XIX. seqq.* & *XXIV. seqq.* Tum vero illud ipsum ηγωτον erit Φενδον Fanaticorum omnium. Dicitur enim hoc sensu veritas realis, nihil aliud esse, quam emanatio & effluxus ex essentia divina, omnes res non solum idealiter, sed & realiter continent, in nostrum & intellectum & voluntatem, per quem solum intellectus passivus, passive se habens, tam ineffabili lumine interno

interno divinitus illabente, perfunditur, ut illud lumini scripture extero, merito preferatur, ut etiam inde relinquatur in voluntate immora, quedam, & ineffabiliter sublimis sufficientia & acquiescentia. Additur ac hæc omnia, quod ex hac veritate reali, tanta relinquatur, objecti cogniti claritas, intus lucens & manifestans se, ut ad illud omne aliud lumen, si comparetur, mera obscuritas esse videatur: Quod hoc deinde lumen internum, & quæ ex eo relinquitur acquiescentia, sit purissimum & summum animæ fidelis ac perfectæ signum: Confirmantur autem hæc omnia nullo argumento, nisi sola ad experientiam propriam provocatione, ut afferatur: *Quod, qui hæc experti sunt, sint de iis magis certi, quam de propria sua existentia, licet illud alio modo ediscerere, aut alii, qui illud non sentiunt, confirmare non possint.* Talem realem veritatem, hoc est, fanaticam de veritate pervasionem falsissimam juxta & periculosisimam, quæ revera nobis omnem viam perveniendi ad veritatem, præfertim salutarem, ex Verbo D E I scripto solo hauriendam, intercludit, mutatis, non sententia, sed verbis solis, etiam alii commendant, nominatim *Auctor Libri*, qui inscribitur *Licht und Recht*, *C. Obadias de discrim. inter Christianismum & Orthodoxiam*, & qui sunt ejusdem generis plures alii. Numerari in illis potest & debet, *Joach. Langius propter Medicinam Mentis*, in qua non quidem totidem verbis describit veritatem realem, ut factum a Poireto est, at Poireti tamen de veritate reali, sententiam, non male exprimit, ipsumque Poiretum, vel maxime propterea in singulis fere paginis, in quibus de veritate tractat præ ceteris commendat. Non possumus, quin annumeremus illis qui fanaticum quid admicent suis, de veritate reali, explicationibus, etiam *P. Malebranch.* propterea quod in suis, de *Inquir. Verit. Libb.* ea passim inculcat, quæ cum Poireti, placitis prorsus coincidunt. *Libr. enim primo cap. 2. fundamenti loco, illud præstruit, quod intellectus nullas producere actiones possit, nisi puras perceptiones, voluntas autem sola judicare de vero possit & debet, sponte & placide in eo acquiescendo.* *Libr. III. Cap. 1. Nume-ro. I. & II* afferit, quod mens humana cognoscat & videat omne verum in DEO, uniendo se cum eo, tanquam cum Ente summe perfecto & omnes entium creatorum perfectiones includente, de quo DEO

C

pro-

propterea in cap. 6to sqq. ejusdem Libri 3^{ti}, ubi hoc argumentum copiosissime per tractat. affirmat, quod sit omnia Enia, quæ complestatur. Ne persequamur ea quæ in Libb. consequentibus in eandem sententiam afferuntur, quibus nihil poterat esse, uti magis conveniens cum sententia Poireti; ita etiam magis accommodatum ad prima fanaticismi fundamenta. Cavendum est igitur omni opera & studio, ne veritas quedam realis, ad hunc modum concipiatur vel describatur. Quæ causa est, quamobrem ne cum illis quidem scriptoribus consentire possumus, qui veritatis realis rationem querunt in conformitate rerum cum intellectu divino de quibus vid. Meyerus in Metaph. div. Theor. I. de Veritate, ne vel minima hoc ipso occasio præbeatur fanaticismo.

Aphorism. III.

Non sufficit, describere utramque, & notionalem & realem veritatem: Necesse est porro, ut utriusque hujus veritatis aliquod criterium apponatur, quod omnium optime constitui potest, in analogiæ illius, quam supra descriptimus, vel evidenter, vel perspicuitate.

EXPLANATIO.

§. I.

De criterio veritatis doctrinam ut subjungamus, illud utile & necessarium est, cum nostri ipsius, cum aliorum causa. Nostri causa, ne in investigatione veritatis, nos ipsos decipiamus, Nubem pro Junione, verum pro falso amplectentes: Aliorum causa, ut distingvantur longissimeque segungantur anobis, primum Sceptici, qui nullum dari criterium veritatis perhibent; deinde omnes illi, qui veritatis criterium minus recte exponunt, speciatim illi, qui hoc criterium denuo ad fanaticismum accommodant.

§. II.

Quam in diversas sententias, de hoc criterio docentes abierint veteres Philosophi, illud, suo quisque more, ostendunt: Petrus Gaffendus Tom. I. Operum. Cap. 410. Christ. Thomas. in

in Introduct. ad Philos. Aul. Cap. Vto. Bayer. in Cynosur. Mantis
Part. I. Cap. 2. & alii. Neque nos inficiari illud possumus,
quod tam magna, qualis fuit jam olim Philosophorum de hoc
criterio dissensio & contentio, Academicis & Scepticis, atten-
dientibus magis ad objectiones singulorum, quam ad respon-
siones, occasionem prebuerit, ut discrimen veri & falsi prorsus
e medio fustulerint, & vera a falsis inter nosci posse penitus ne-
gaverint. Quamobrem & nos, relinquimus Epicuro suam sen-
tentiam, qua triplex veritatis constituit criterium, *sensationem, an-*
ticipationem & passionem, illam pro rebus naturalibus & materiatis,
istam pro rebus non materiatis, quae sola mente percipiuntur,
hanc pro rebus moralibus: Quod triplex Epicuri criterium, *E-*
picurei videntur ad solam sensationem, post Epicurum, retulisse,
quippe de quibus relatum accepimus, quod omne judicium
veri & falsi in sensibus collocaverint. Non morabimur *Pla-*
tonem & Platonicos, omne veritatis criterium in *solamentis illa*
idea querentes, quam animabus hominum, in prima crea-
tione insitam esse perhibent, quippe cuius recordationem
sensus dicunt suppeditare, & cæteroqui nihil ad veritatis
judicium conferre. Non investigabimus Stoicorum, reliquo-
rumque veterum Philosophorum, de criterio veritatis, sen-
tentiam, de quibus conferri possunt citati Autores. Neque et-
iam nunc quidem sub examen vocabimus Cartesii & Cartesi-
norum de criterio veritatis opinionem, quibus clara distinctaque
aliquuj rei perceptio, pro criterio admittitur veritatis, de quo legi
potest Titius in Arte Cogit. Cap. III. §. 24. seqq. Multo minus de
aliorum recentium scriptorium, in primis Domini de Tschirn-
hausen meditationibus nunc judicabimus, existimantis in *Me-*
dicina sua mentis part. II. f. i. in eo nos querere debere veri-
tatis criterium, quando aliquid concipere possumus, quod nos revera
bene afficit, & in eo falsitatis criterium, quando aliquid vel con-
cipere prorsus non possumus, vel ita concipimus, ut nos male
afficiat: Hæc enim commodiori possunt occasione asservari.
Satis erit h. l. nostram de criterio veritatis sententiam propo-
nere, eademque explicata, eos de inceps maxime arcere, qui
suis de criterio veritatis descriptionibus aliquid fanatici com-
miscent. *Cap. 2. seqq. in Cynosur. Mantis* §. III,

§. III.

Quod ad nos itaque attinet, sic opinamur, quod, quemadmodum omnis, quæ ad nos est, veritatis ratio, sita est, in aliqua analogia, ita etiam omnis criterium veritatis collocari poscit in hujus analogie, vel evidentia, nunc sensuali, & intellectuali simul, nunc intellectuali sola; vel certe, in hujus analogiae perspicuitate tali, in quam intellectus, tuto assentire, & voluntas consentire, totusque animus revera acquiescere poscit. Ita, verbi causa, si queratur, unde de hujus propositionis, quod ter tria sint novem, veritate mihi constare poscit? Responderem, illud inde relinquiri, quod evidens est, & sensuali & mentali evidentiæ, esse illud analogum cum re ipsa, quod hac propositione significatur, tam ratione subiecti, quam ratione prædicati, quodque animus meus ad hanc propositionem sibi concipit; imo hanc analogiam tam esse & sensibus, & intellectui evidentem, ut & tuto assentire intellectus, & voluntas consentire, atque animus totus acquiescere in ejusdem cognitione poscit. Ita denuo si queratur, quodnam sit criterium veritatis, in hac propositione, qua assertur, quod Deus sit spiritus infinite perfectus? Responderem, nihil aliud, quam evidentiæ, non quidem sensualem, at mentalem tam analogiæ, quæ intercedit, inter rem ipsam, & ea, quæ per hanc propositionem, indicantur, quæque intellectus sibi concipit, ad hanc propositionem, decenter conferendo subiectum cum prædicato: Adderem & hoc, hanc hujus analogia evidentiæ tam claram esse & perspicuam, ut, & intellectum trahat ad assensum, & voluntatem ad consensum, animunque totum, tam fecurum reddat, ut in cognitione hujus analogiæ acquiescat.

§. IV.

Atque hæc de criterio veritatis, generatim considerato valent: Nunc etiam quedam de eodem speciatim dicenda sunt & probe animadvertenda, quod attinet ad criterium 1) veritatis notionalis & Logicae. 2) veritatis realis Metaphysicæ. 3) veritatis Ethicæ. 4) veritatis Historicæ, imo & 5) veritatis Theologicæ. In veritate Logica, primum quod spectat ad illam quidem partem, qua notionalis veritas, est & dicitur,

tur, attendenda est evidētia analogiæ illius, quæ intercedit
inter notiones secundas, h. e. terminos, propositiones, argu-
mentationesque, & inter earundem significatiōnes Logicas:
hac enim evidētia est hujus criterium veritatis notionalis.
Ita v. c. si daretur Syllogismus aliquis bonus, illum verum
esse, hoc inde judicarem, quia evidens esset analogia, quæ
intercederet inter hunc syllogismum datum, & regulas de syl-
logismo Logicas decenter ad illum accommodatas. Deinde
in eadem hac veritate Logica, quatenus ad mentis nostræ
conceptus seu cogitationes animi refertur, diciturque non-
nullis realis veritas, secundario talis, observanda est alia quæ-
dam evidētia analogiæ, quæ intercedit inter conceptus mentis
& inter res ipsas per notiones secundas Logicas significatas,
sive sint termini simplices compositique, sive propositiones,
sive argumentationes, ad præcepta Logica, decenter antea
applicate: Hac enim evidētia est hujus Logicae criterium
veritatis, quatenus quibusdam realis dicitur. In veritate
reali Metaphysica nonnulli putant criterium definiri non
posse. At enim vero, si etiam hac veritas habet aliquam, uti
supra demonstravimus, analogiam, nihil repugnabit, quin
hujus analogiæ evidētiā dicamus esse hujus quoque cri-
terium veritatis Metaphysice. Ita v. c. quando quæritur de
auro, fitne verum aurum in sensu Metaphysico? Illud vero
inde judicabitur, si evidens sit & perspicuum, dicta ratione,
quod illud aurum, de quo quæritur, habeat naturam & pro-
prietates essentiales, quas debebat habere, secundum judici-
um intellectus humani incorruptum. In veritate Ethica,
dabitur iterum quædam evidētia & perspicuitas talis, qua-
lem supra descripsimus, analogiæ inter animi sententiam &
inter verba nunc scripta, nunc sermone prolatæ, ceteraque
signa exteriora. Atque hac evidētia Ethicæ veritatis criterium
dici debet. Non aliter est judicandum de criterio veritatis
Historicæ: Nam & hac habebit evidētiā aliquam aut per-
spicuitatem talem, quam supra observavimus analogiæ
illius, quæ intercedit, inter commemorationem rerum gesta-
rum, & res gestas ipsas, quæ evidētia dicenda est criterium

Historice veritatis omnis. Idem esto judicium de veritate omni reliqua, quæ secundum diversas disciplinarum species, ab aliis addi solet. Sola superest veritas Theologica, quæ, quemadmodum singularem habet analogiam, nimirum rerum credendarum atqueagendarum, cum Scriptura sacra & analogia fidei; ita etiam criterium habet prorsus singulare, quod situm est, non quidem in hujus analogiæ evidentiâ, vel sensuali, vel rationali, at perspicuitate tamen, & hujus analogiæ claritate spirituali ac supernaturali, quæ in animabus hominum per efficaciam verbi divini ac Spiritus Sancti producitur tali, ex qua divina atque infallibilis fides proficiuntur. Et licet hæc veritas dicatur nunc Logice, imo & notionaliter, nunc Ethice, nunc Metaphysice considerari; hoc tamen semper fit, & fieri debet cum respectu ad analogiam dictam, & in ejus perspicuitate spirituali ac supernaturali.

§. V.

Atque hanc de criterio veritatis sententiam vel maxime propterea elegimus, quod cum ea putamus conciliari posse omnia illa, quæ unquam ab aliis de hoc criterio sobrie quidem & cum ratione disputata sunt. Tum vero ut nobis sejungeremus illos, qui suæ de criterio veritatis sententiae aliquid admiscent, quod fanaticismum sapit. Hujusmodi quid omnino illud est, quando nonnulli perhibent, veritatis criterium non in intellectu, sed in voluntate querendum esse, vel in fundo mentis & cordis, facultate ab intellectu & voluntate diversa, id est omnibus vacua, quam sententiam suam faciunt, non solum Petr. Poiret & P. Malebranche, citat supra locis, omnesque Fanatici; verum etiam plures alii, imprimis *Autor Observat. Hallens. Obs. IX. Tom. V. & Joach. Lang. in Med. Mentis cit. loc. 599.* Hi in eo tandem conspirant omnes, quod pro criterio veritatis nihil admittit aliud, quam ejusmodi luminis divini interioris, rerumque ex essentia DEI effluentium, in que animum illabentium, talis sensus ac gustus, qui usu atque ex perientia addisci quidem, atque in voluntate vel in fundo cordis animadverti possit, at verbis exprimi non poscit, qui etiam immediate sine notionali veritate percipiatur, vel certe per-

percipi poscit, in illo' fundo cordis. Quam sententiam nobis h. l. commemorasse satis est. Vid. eam excusam ac contentatam a Dn. Loësch. in Prenot. Theolog. p. 139. sqq.

CAP. II.

DE

VERITATE NOTIONALI CUM REALI CONCILIATA.

Aphorism. I.

Quo archius cohæret cum reali veritate veritas notionalis, tanquam medium, sine quo realis veritas in nobis in hac vita non datur; hoc minus hæc illi ita opponenda est, ut ab eadem separetur, quippe quod sine maximo periculo & arguento fanaticismi manifestissimo fieri non potest.

EXPLANATIO.

s. I.

Quinam sint illi, qui vel veritatem notionalem prorsus negant, vel eandem ita opponunt reali veritati, ut hanc sine illa dari in nobis posse, imo hanc sine illa solam esse veritatem, affirment, illud partim ex Proemio nostro, partim ex capite superiore, jam constare potest. Hoc loco igitur restat, ut ostendamus, primum, quam arcta cohæreat veritas notionalis & realis; deinde quam periculose sit, hanc ab illa separare. Quod ad prius attinet, non dubitamus afferre, quod nulla detur in nobis, in hac vita, veritatis realis cognitio sine omnibus omnino notionibus. Quod ipsum demonstrari potest inductione omnis veri & omnis modi verum cognoscendi, qui quidem in hac vita in homines cadere potest. Aut enim ex nobis ipsis, aut ex aliis cognoscimus verum; idque iterum vel ex DEO, vel ex

An-

Angelis, vel ex hominibus. Addiderim etiam res quasdam, v. c. typicas, aut quae sunt typicis rebus simillimæ, hiero glyphicas, aliasque, quibus quædam in est vis significandi nobis verum. In his enim omnibus eluet nihil, nisi veritatis cognitio notionalis. A DEO cognoverunt parentes nostri primi & Patriarchæ veritatem legis & evangelii, sed per λόγον προφητικὸν, adeoque non sine notionibus. Accepterunt ab eodem illo DEO immortalis, Prophetæ, Evangelistæ, atque Apostoli, immediatam ejusdem veritatis revelationem, sed non sine notionibus secundis: Dicuntur enim, πῶς καὶ τί, & quid, & quibus verbis loqui & scribere deberent, acceptissæ inspiratum. Idem ille DEUS Unítrinus dicitur in cordibus nostris testari quidem verum, sed iterum mediante verbo suo revelato, non immediate, aut sine notionali veritate, quod contra omnes Fanaticos & Enthusiastas, Theologi propterea copiose demonstrare solent. Neque vero ad reliquias divinas revelationes, per visiones, extases, aut alia etiam ratione factas, cognitio, quæ inde redundavit in homines, suisse putanda est ita realis, ut sine omni omnino notionalis veritatis argumento fuerit. Quod ad Angelos attinet bonos, illi vero vel per verbum aliquod, nunc γεωπτὸν nunc προφητικὸν, cum hominibus agunt: Atque ita manifestum est, cognitionem inde veritatis notionalis in homines redundare; vel alia quadam ratione significando verum hominibus, quod qualicumque tandem modo fiat, nobis nunc non executiendo, non tamen in homines redundabit aliter cognoscendum, quam mediante quadam veritate notionali. Quod ipsum perinde fieri putamus, ac si homines hominibus significant per res quasdam verum cognoscendum, & hi deinceps illud verum per notiones revera apprehendunt. De malo angelo addere aliquid nihil attinet, quoniam ab illo tanquam patre mendaciorum, nulla est expectanda neque expetenda veritatis cognitio. Quomodo homo ex homine cognoscat verum, nunc per verba scripta, aut sermonem, nunc per alia signa, nunquam autem sine notionali veritate, illud vero jam ante explicavimus. Nihil ergo reliquum est, quam unum illud

illud, ut exponatur, quomodo homo, præsertim furdus & mutus, ex se ipso, & quomodo tandem homines omnes ex semetipsis, hoc est, ex insitis principiis, cognoscant verum? Cujus quidem aliis modus vulgaris est, quem ipsi in nobis, qui adulti & instructi sensibus fumus, experimur, formantes nobis ipsis, ex nobis ipsis secundum insita principia, cogitationes: Quem modum cognoscendi verum, non fieri sine notionis veritatis sensu, per sermonem quasi internum, illud omnes norunt. Alter modus est singularis, quo vel furdii & muti, ex semet ipsis, accendentibus quandoque aliorum significacionibus exterioribus, quandoque sine illis, cognoscunt verum; vel etiam infantes baptizati, suo scil. infantili modo, dicuntur habere veri, etiam salutaris, & notitiam, & assensum, & fiduciam. Qui verum cognoscendi modus videtur quam maxime fieri sine notionibus. At enim vero, si dicendum, quod res est, neque hic opus est, ut tale quid concedamus, quandoquidem in furdii & mutis deprehendimus tales gestus, verique, quod cognoscunt, tales executiones, ut necessi habeamus colligere ex illis, quod, dum sibi concipiunt verum, illud non faciant sine omnibus omnino notionibus, & licet illæ non sint unæ & cædem, quoad speciem, cum notionibus nostris, tamen nostris quam maxime analogas sibi in mente formant. De infantibus vero, eorumque fide actuali & vera, licet infantili, Theologi sunt conferendi.

§. II.

Quam periculose sit, admittere cum Fanaticis, cumque illis, qui fanaticismo favent, veritatis aliquam cognitionem realem, que in hac vita in nos cadat, sitque sine omnibus omnino notionibus, illud intelligi potest, ex incommodis, maximis que inde derivantur. Fit enim ex eo 1) ut, præter verbum DEI scriptum admittatur aliquod aliud verbum DEI internum: quod est principium omnis Fanaticismi & Enthusiasmi. 2) ut verbum DEI scriptum contemnatur, tanquam nuda litera mortua & in efficax, cui veritas nulla adscribi posit, nisi quando cum verbo illo DEI interno conjugatur: Quod proprium est omnium Fanaticorum. 3) Ut singantur deinceps, hoc principio

cipio vero e medio sublato, & in ejus locum alio quodam falso principio substituto, ut, inquam, fingantur omnis generis monstra sententiarum erronearum, de DEO in rebus creatis, & Christo in nobis, de sacramentis, de hæresi, de angelis, eorundemque colloquiis, de hominibus, eorundemque apoteosi, & quæ sunt innumera ejusdem generis alia, ex Theologia reali Fanaticorum & Mysticorum satis cognita.

Aphorism. II.

Quemadmodum vero veritas quædam realis sine notionali, quæ in nos, in hac vita cadat admitti non debet; ita etiam notionalis veritas nuda, & mere verbalis, aut mere intellectualis, quæ in re ipsa fundamentum nullum habeat, fingenda & proponenda non est.

EXPLANATIO.

§. I.

Observandum hoc diligenter est principio in gratiam illorum, quos statim ab initio notavimus, qui, cum Hobbesio, Lockio, atque aliis, propositionibus solis, uti concipiuntur, veritatem adscribunt, ideis autem, & rebus ipsis, omnem veritatem denegant; ut ab illis longissime nos sejungamus. Deinde hoc etiam illis diligenter est obvertendum, qui cum Fanaticis nos calumniantur, ac si nude verbalem, notionalem, cerebrinam, atque intellectualem sectemur veritatem, quando, v. c. pro veritate rerum Theologicarum, solam urgemos analogiam scripture & fidei, ut desinant maledicere, videantque, & hanc veritatem, quæ ex sola hac analogia deducitur, vere divinam realemque esse, licet fanatica aut enthusiastica non sit.

§. II.

Liceat itaque horum causa, ad ultimum quædam annotare & hic subjungere. I.) Quod notionalis veritas, quam in

inesser in verbis, propositionibus, atque argumentationibus supra vidimus, seorsim quidem explicari posit, uti factum a nobis ante est; at separari a reali veritate non debat. II.) Quod denegare omnem ideis & rebus veritatem, idem sit, atque omnem veritatem e medio tollere: Est enim fundamentum omnis veri, veritas illa in ideis & rebus ipsis, que inest, quo sublatu, evertitur statim omne illud, quod eidem superstructum est. Quæ causa est, quamobrem Hobbesianismus etiam Scepticismus dicatur, idque non injuria. III.) Quod, quando Theologis quibusdam omnis veritas Theologica dicitur esse debere verbalis, illud fiat non in respectu, ad mere verbalem aut notionalem veritatem; sed in respectu ad verbum DEI scriptum, ne scilicet aliquid admittatur in Theologia, quod non sit ex verbo DEI, vel ut loquitur Apostolus παρόντες γέγραπται. IV.) Quod omnis veritas, ex analogia scripture & fidei deducta, sit omnino realis veritas: Verbum enim DEI scriptum est & veritas divina Job. XVII. v. 17, & δύναμις τῆς θεοῦ. Rom. I. v. 26. V.) Quod sententia adversariorum sit nullis superstructa fundamentis, nisi meritis persuationibus falsis, aut calumniis, quas dignas non judicamus, ut in hunc locum transferantur.

FINIS.



Wittenberg, Diss., 1714


ULB Halle
005 302 560

3



Sb.

KD.18



B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



B. C. D.
DE
VERITATE REALI
CVM VERITATE NOTIONALI
COLLATA JVXTA AC CONCILIATA,
AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII,
FRIDERICI AVGVSTI,
ELECTORATVS SAXON. HÆREDIS,
ETC.
PRAESIDE
HENRICO MÜNZI
THEOLOG. DOCT. ET PROFESS. PVBL. EXTR.
LOG. AC METAPH. ORDINARIO,
DOMINO PATRONO AC PRAECEPTORE SVO,
EA QVA PAR EST ANIMI PIETATE AC OBSERVANTIA
COLENDISSIMO,
IN ALMA LEVCOREA
DIE XXXI. DECEMBER. A. R. S. clo 15CC XIV.
PVLICE DISSERET
IO. CHRISTIANVS POGNERVS,
ESCHEN. FRANC.
LIBB. ART. MAGISTER.
VITEMBERGAE, LITERIS VIDVÆ GERDESIANÆ.

